



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Theoderici Regis Qvondam Ostrogothorum & Italiæ

Cochlaeus, Johannes

Ingolstadii, 1544

VD16 C 4410

De Efficacibvs Regis Theo. ma[n]datis et ordinationibus Cap. XV.

urn:nbn:de:bvb:12-bsb00004354-8

præciosum, tuis ordinationibus obsecūdat. Et ad iudicium tuum confluūt, qui de extremis Mundi partibus aduenere. Salis quoq; cōmerciū inter uestes sericas & præciosissimā margaritam non inepte tibi deputauit Antiquitas, ut sapiētiā tuam euidenter ostenderet, cui talis species deputata seruiret.

DE EFFICACIBVS REGIS
Theo. mādati et ordinationibus Cap. XV.

Sapientia
iubentis.

Sap. s. c.

Obedientia
Exercitus.

Authoritas & sapientia huius regis longe clarius ex eius Rescriptis, quam ex Historiarū lectione cognoscitur. Quicquid sane ulli uel magno uel paruo Magistratui, aut cuiuslibet conditionis subdito mandauit, mox omni conatu & studio ad effectum & executionem perductum obediēter fuit. Auctoritas enim eius omnibus reuerentiæ fuit. Sapientia autem ipsius ita omnia disponebat, ut nulli foret impossibile ipsius mandatū, nec importabile aut dispendiosum executionis onus, Ad imitationem nimirum (quantū humanæ fas est infirmitati) æternæ illius sapientiæ, quæ attingit à fine usq; ad finē fortiter, & disponit omnia suauiter.

Vnde factum est, ut iussa huius regis aut nunq; aut rarissime uacua domum redierint. Quocunq; iussit ire Exercitū, iuit, certo & stato die præfixo, & cum uictoria reuersus est, quantumuis potens & bellicosus esset Rex aut populus, cōtra quē ire iusserat. Nulla sub eo expeditio militaris in uanū cecidit, nulla profectio cassa aut irrita, nullæ in milites inutiliter factæ expensæ: Adeo prudenter sciuit Rex iste uiam modum & formam, qua effici possi quod mandauerat, & nusquam deerat facultas & opulentia, per quā poterat sinem, quem intendebat, attingere. Id quod facilius credet

credet lector, ubi aliquot ex ipsius Rescriptis recitaueris exempla.

Etenim cum nō haberet Italia nauium copiam, præcepit Abundantio, Præfecto Prætorij, ut disponeret. In hæc sane uerba. Quamuis utilia Reipub. nostra semper consuetudine censeamus, & ob id omnibus possint esse gratissima quæ iubemus, quia cunctis profutura noscuntur, Tractandum tamen est, ut principis desyderiū nulli existere debeat onerosum. Nā etsi præclara cogitata non bene agantur, ingrata sunt. Illud autē solummodo perfectum dicitur, quod de uoluntate simul & actione laudatur. Cum nostrū igitur animum frequens cura pulsaret, Naues Italiā non habere, ubi tanta lignorum copia suffragatur, ut alijs quoq; prouincijs expetita transmittat, Deo nobis inspirate decreuimus, Mille interim Dromones fabricandos assumere, Qui & frumenta publica possint cōuehere, & aduersis nauibus, si necesse fuerit, obuias re. Sed tantæ rei, quem desyderamus, effectū magnitudinis uestræ sollicitudine credimus esse procurandum. Ideoq; per cunctā Italiā directis artificibus apta operi ligna perquire. Et sicubi Cupressos aut Pinos reppereris, in uicinitate littoris, dato competenti præcio, dominis cōsulatur. Hæc enim tantum sunt, quæ ad taxationem uocentur, cætera uilitate sui non indigent æstimari. Sed ne prouisio nostra in medijs conatibus deserta languescat, Nautarum te iubemus sub moderatione iam nunc cōpetentē numerum. Deitate inuante, procurare.

Hoc Regis mandatum ita celeriter effectui mancipatum fuit, ut mox in proxime sequenti Epistola eidem Abundantio in hæc uerba rescripserit. Alacriter incumbendum est inchoatis, cum iam uicinitas perfectionis ariserit. Quando spes effectus, tardium laboris excludit, & magnum genus incitamenti, credere desyderata compleri.

Dudum

Mandatum
de Mille pas
randis in
Italia Dros
monibus.

Velox m
dati execu
tio:

Dudum igitur magnitudini uestræ ex Italiae littoribus officia iussimus preparare Nautarum, ut Dromones, quos industria fabricare ualisset, manus remigum prouisa suscipere-
ret. Sed tu iudicio nostro electionique reponens, ostendisti, quam fuerit indubitata perfectio efficacissimis imperasse, quod quæritur, Renuncias illico completum, quod uix credi poterat inchoatum. Ut pene quanta uelocitate nauigari solet, constructio nauium tanta sit celeritate completa.

**Nauium
utilitas.**

Nec solum uerba narrata sunt. Obtulisti oculis nostris subito Classeam syluam, domus aquatiles, exercitiales pedes qui nullo labore deficient, sed inconcussos homines ad destinata perducant, Trireme uehiculum, remorum tantum numerum prodens, sed hominum facies diligenter abscondens. Hoc primum instituisse legimus Argonautas. Quod & armatis aptum, & congruum probatur esse commercij. Ut qui peregrinas Classes optabamus aspicere, nunc mittamus alijs prouincijs et terrorem pariter et decorem. Ornasti Rempub. tua institutione reparatam. Non habet quod nobis Græcus imputet, aut Apher insultet. Illud apud nos inuidi uigere respiciunt, unde illi permagna præcia sua uota cõplebant.

**Velorũ cõ-
moditas.**

Nunc prædictis rebus armamenta procura, uela præcipue, alas nauium facientia, linum uolatile, quidam spiritus currentium carinarum, prænuncia mercium, auxilia quieta nauitarum. Quorum beneficio conficiunt ociosi, quod à celeritatis aibus uix probatur impleri.

**Aliud mã-
datum.**

Et rursus ad eundem abundantium Præf. Præf. aliud scripsit de alia re mãdatum, quod utique is absque omni dilatione mox complere festinauit. Tatanem (inquit) Saionem nostrum cum Sagittarijs ad Illustrem uirum, Comitem Iulianum, æstimauimus esse dirigendum, ut maius sumeret robur duplicatus exercitus. Ostendent Iuuenes nostri bellis, quod in Gymnasio didicere uirtutis. Schola Martia mittat examina, pugnaturus

pugnaturus ludo, qui se exercere consuevit in ocio. Atq; ideo
Illustrem magnitudinem tuam eis annonas et nauigia secun-
dum consuetudinem præbere censemus, Quatenus iuuante
Deo, quo directi sunt, debeant peruenire. Vestra enim solli-
citudini damus nostrarum efficaciam iussionum, Quia nul-
latenus destitui posse creditur, quod Deo iuuante tuis ordi-
nationibus inchoatur.

Et rursus in alio mandato sic scripsit uniuersis Gothis per
Picenum & Samnium constitutis. Quamuis munificentia
(inquit) nostra sit omnibus ubiq; gratissima, multo tamen
acceptiora credimus, quæ nostri præsentia cõferuntur. Quia
maiora de conspectu principis populi sumunt, quam de lar-
gitate beneficia consequuntur. Nam pene similis est mortuo,
qui à suo Dominãte nescitur. Nec sub aliquo honore uiuit,
quæ Regis sui noticia non defendit. Et ideo præsentia iussio-
ne mandamus, ut Octauo Iduum Iuniarum die, Deo auxi-
liante, ad præsentiam nostram uenire debeatis, qui solenniter
regalia dona suscipitis, si uenire protinus festinatis. Illud ta-
men necessario cõmonentes, ut uenientium nullus proueni-
re possit excessus, nec possessorũ segetes aut prata uastetis, sed
sub omni continentia properantes, de custodita disciplina,
grata nobis esse uestra occurso possit. Quia ideo exercitua-
les gratanter subimus expensas, ut ab armatis custodiatur in-
tacta ciuilitas.

Est & aliud lectu dignum huius regis mandatũ, de custo-
diendis & recte utendis Equis Veredarijs, qui ad publicum
cursum erant ab eo per diuersa loca deputati. De quibus sane
sic scripsit Mannilæ Saioni. Laudabile est, in illa parte ge-
minare custodiam, quam cõstat Reipub. necessitatibus ex-
quisitam. Per hanc enim & Legationum utilitas, & ordina-
tionum nostrarum celeritas explicatur. Hæc & Aulicis po-
testatibus per uarias iussiones ministrat effectũ, hæc crebris
Mm illationibus

Mandatum
ad Gothos
ut corã Re-
ge certo die
cõpareant.

Mandatum
de Equis ue-
redarijs.

Mandatum
de Equis ue-
redarijs.

illationibus nostrum ditat ærariū, ut pene quicquid in Res
pub. geritur, cursuali ministerio compleatur. Decet proinde
semper esse paratum, quod utilitatibus publicis probatur ac
commodum. Ne quod ad celeritatem reperitum est, incon-
gruam potius festinantibus inferat tarditatē. Atq; ideo Præ-
fecti prætorio & Magistri Officiorum, ubi pro publica uti-
litate delegerint, ordinatione locatus, excedentium improbā
præsumptionem talite præcipimus districtione resecare, ut si
ue Gothus sit aut Romanus, qui sine nostra uel eorum, quos
rum interest, euectione Veredum præsumit attingere, per
unum equum Centum statim solidos à te cogatur exoluere.
Et de illis quoq; pari seueritate cēsemus qui supra euectionū
numerum cursuales equos usurpare præsumunt. Parhippis
quinetiam non ultra quam Centū libras iubemus imponi.
Nimis enim absurdum est, ut à quo celeritas exigitur, mag-
nis ponderibus opprimatur.

Mandatum
ad præfectū
urbis.

Est deniq; & hoc regis huius mandatū, quod ad Agapitū
præfectum urbis scripsit, cōsyderatione ac lectu haud indig-
num. Decet principem (inquit) cura, quæ ad Rempub. spes
stat augendā, & uere dignū est, Regem ædificijs palatia des-
corare. Absit enim ut ornatui cedamus ueterū, qui impares
non sumus beatitudine sæculorum. Quapropter in Rauen-
nate urbe Basilicæ Herculis amplum opus aggressi, Cuius no-
mini Antiquitas congruetribuit quicquid in Aula prædis-
cibili admiratione fundauit, Magnitudinē tuæ studiosissis-
me delegamus, ut secundum Breue subter annexum, de urbe
nobis Marmorarios peritissimos destinatis, qui eximie diuis-
sa coniungant, & uenis colludentibus illigata, naturalem fas-
ciam laudabiliter metiantur, De arte ueniat quod uincat nas-
turam. Discolorea crusta marmorū gratissima picturarum
uarietate texantur. Quia illud est semper in præcium, quod
ad decorem fuerit exquisitum. His sumptus subuentionesq;
præstabis,

præstabis, ne quemq̄ nostrum grauet imperium, quod ad
utilitatem uolumus respicere singulorum.

DE STUDIO PACIS INTER
Reges conseruanda Cap. XVI.

Quamuis nullus Regum illo tempore esset uel bellorū
peritior, uel armis & facultatibus potentior hoc rege
Gothorum, nemo tamen ex omnibus uisus est pacis aman-
tior aut studiosior, quippe, mox ab initio adepti regni Italici
sategit diuersis affinitatum coniunctionibus (ut dictum est)
uicinos ad pacē sibi reges deuincire. Cum autē Rex Franco-
rum Clodoneus, (quem Cassiodorus in Epistolis Luduū,
Paulus Aemilius Veronensis à Baptismo Ludouicū uocat)
& animo ferox, & bellicis uictorijs clarus, opibusq; et uiribus
potens, indies magis magisq; bellorū successibus augetur,
Theodericus Rex crebris admonitionibus per literas & Le-
gatos, iure affinitatis fretus, illum ad mitiora hortabatur.

Deuictis igitur magno & anticipiti prælio Alemannis à
rege Clodoneo, interfecto eorum rege atq; ingenti Nobiliū
numero, eliquit illorum in fines regis Theoderici confuge-
runt, pro quibus uictori reconciliandis Legatos et literas mis-
sit Rex Theodericus, in hæc uerba. Luduū Regi Francorū
Theodericus Rex, Gloriosa quidem uestræ uirtutis affinitas
te gratulamur, quod gentem Francorum prisca ætate residē,
foeliciter in noua prælia concitasti, & Alemānicos populos
causis fortioribus inclinatos, uictrici dextra subdidisti. Sed
quoniam semper in authoribus perfidiæ refecabilis uidetur
excessus, quia ex primariorum plectibili culpa omnium debet
esse uindicta, motus uestros in fessas reliquias tēperate, quia
iure gratiæ merentur euadere, quos ad parentum uestrorum
Mm ij defensionem

Intercessio
Thode, pro
Alemannis
apud Regē
Frācorum.